



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||**

**Grégoire, Pierre**

**[Frankfurt], 1595**

**VD16 G 2996**

25 De decimis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

capit. 2. non gustasse vina aut novas fruges A Romanos Ethnicos, priusquam primitias sacerdotes libassent. Et Porphyrius. libr. 1. de abstinentia animalium, ait, primitias animalium & frugū antiquitus Deo oblatas. Solebant & Iudeorum mulieres, ut scripsit Paulus Fagius, ad ca. 5. pirke abot, seu capitulorum patrum, תרין חלה, id est placentā, quæ ex massa farina pistæ sumitur, Deo offerre in primitiarum modum. Atque nunc cum templo careant, tamen B ex massa solent illam placentam & igne comburere, benedicentes in nomine domini, dicendo, Benedictus tu Domine rex mundi, qui sanctificas nos, & præcepisti nobis separare pastam de terra. Videtur & de hoc ipso Plutarchus sensisse libro de fortitudine, morem quoque fuisse gentium, dum scribit, τὸ πρῶτον ἀπαγορεύειν ἰμῶν ἀδύνατον, id est, igni primitias iniecerunt. neque etiam Ethnicis quicquam videbatur religiose factum, nisi libatum ex re Deo fuisset. Eoque spectat quod tradit, Hesiodus 2. operum & dierum, Μὴδ' ἀπὸ χροσπέδων ἀντιπίπτειν ἀνελόντα ἴδαν, id est, neque a pedatis ollis nondum delibatis, comedas.

## DE DECIMIS.

## a TITVLVS XXV.

a Tractatur lib. 3. Decretalium, tit. 30. lib. 3. Sexti, tit. 13. lib. 3. Clemen. tit. 8. & 13. quæst. 1. can. 4. sequen. 16. quæst. 7. can. 40. de consecrat. distinct. 5. & alibi, apud nos, lib. 2. Syntagm. iuris agimus, etiam de decimis. tit. 20.

## CARVT I.

- 1 Continuatio.
  - 2 Et finitio Decimæ.
  - 3 Et diuisio.
- 1 Q Via & inter bona Ecclesiæ † decimæ sunt, & de his nunc agamus.
- 2 Decima generaliter, † nihil aliud est, quam pars decima ex aliquibus, qua sublata relinquuntur aliæ nouem. b

Quia vero hæc finitio generalis est, † uidemus decimas in prophanas, & ecclesiasticas. Prophana decima fuit quoddam genus tributi a laicis & secularibus dominis impositi, c de qua hic non agemus. Ecclesiasticæ decimæ rursus triplices. Aliæ enim sunt, quæ ex rebus Ecclesiæ, ut ex fructibus beneficiorum præstantur personis non Ecclesiasticis: puta principibus ad bellum sacrum, vel ob aliam causam a summi Pontificis auctoritate probatam, d idque ex priuilegio extraordinario. Quare & in eo cauendum, ne ex eo Ecclesiæ grauentur, e & modus ideo exactoribus impositus est. f Aliæ erant decimæ, quæ a Leuitis soluebantur sacerdotibus: g quemadmodum inter Christianos aliquando Episcopis ex oblationibus, primitiis, & decimis beneficia soluebant quartam partem, h vel aliam, pro locorum consuetudine, i quæ & in quarta soluenda, k vt & præscriptio. l Nam certæ rationes possunt esse, quibus ea præstatur Episcopis, quæ aliquando cessare possunt alicubi. m Huius speciei decimarum aliquam similitudinem referunt annatæ. quæ exiguntur a summo Pontifice de beneficiis ab illo impetratis: nempe emolumenta seu fructus beneficiorum vacantium unius anni, quæ percipiuntur a summo pontifice pro Ecclesiæ Romanæ necessitatibus releuandis, prout sibi referuauit, & cameræ apostolicæ Ioannes 22. pontifex. n Aliæ sunt decimæ, quæ solui debent a populo sacerdotibus & personis Ecclesiasticis, de quibus institutus est sermo. Et istæ sunt decimæ omnium bonorum legitime quæsitōrū, quota pars Deo diuina constitutione debita, o tributa animarum egentium. p

Harum decimarū † tres sunt species, q & E personales, prædiales, mixtæ. Personales dicuntur, quæ soluuntur ex fructibus, lucro, & de rebus industria personæ, vel officio, negotiatione, & similibus quæsitis. r Prædiales, quæ ex fructibus prædiorū debentur, ut ex vino, frumento, & aliis frugibus.

bus. Mixta sunt, quæ debentur habita ratione eorum, quæ partim ex prædiis proueniunt, partim ex industria personarum, quales decimæ debita in eo loco, ubi pascuntur animalia, & custodiuntur industria pastorum. †

## S C H O L I A.

- a cap. tua, de decimis. cap. causa Carpenfis. de verborum signific.
- b cap. cum homines, septimo de decimis. B
- c De qua decima multa tractamus, libr. 3. Syntagma. iur. vniuers. cap. 20. num. 1. & 2. vide exemplum, 1. Reg. 8. meministi de decima litis. ca. cum ab omni specie 10. de vita & honestate clerico. Nouella 112. cap. 2. Authen. generaliter de Episcopis & clericis. C.
- d De hac quoque tractamus & plura damus exempla. prædicto libr. 2. Syntag. c. 20. num. 3. & seq. tractatur & in Extrauagan. 1. de decimis, in Extrauaganantibus communib.
- e cap. fin. de voto, dict. Extrauag. 1. §. declaramus, de decim. in communibus.
- f Clement. 1. & 2. de decimis. dict. Extrauagan. 1.
- g cap. 1. de decim. libr. 3. tit. 30. & ibi Panor. num. 18.
- h ca. Vulterrane. can. quatuor, can. de redditibus. ca. concessio 12. quast. 2. Clem. dudum de Sepul. capit. cum super, eodem titulo apud Gregor. ca. de quarta, de præscript.
- i can. antiquos, can. de his, can. decernimus 10. quastio. 1. can. constitutum 16. quastio. 1. capit. conquirente, de offic. ordinar. capit. secundo. de sepultur. capit. certificari, eod. tit.
- k can. priscis quidem, & can. vnio 10. quast. 3. can. 1. 13. q. 1. vide Panorm. ad cap. cum contingat, de decimis. E
- l cap. de quarta, de præscriptione.
- m Dabantur olim Episcopis partes ex decimis, quia Episcopatus erant tenues, nec poterant summi suppeditare ad exsequenda onera episcopalia, nunc autem sufficiunt, can. 1. 13. quast. 1. & cessante dispositio-

nis retentione, debet cessare dispositio. ca. cum cessante, de appell. l. adigere. §. quamuis. de iure patronatus. P.

- n In capit. cum Nouella 12. de præbend. in Extrauag. communibus, Ioannes tamen 22. tantummodo in aliquibus Ecclesiis annatas reseruaui, & ad tempus, ad inuadendas impensas sedis Apostolica. Sed Bonifacius 9. primus indifferenter omnibus beneficiis Ecclesiasticis annatarum usum imposuit, ut notat glossa ad titulum de annatis ad verbum annatarum in Pragmat. Sanctio. Reprobata aut melius temperata fuerunt annata in Concilio Basiliensi & Pragmatica Sanctio. Reprobat Ioannes Andreas ad ca. inter cetera, de offic. ordinar. Diuus Ludouicus, aliq. plures Galliarum Reges, prohibuerunt huiusmodi annatas exigi vel solui in regno, & Carolus quintus per Arrestum Senatus Parisiensis latum vndecimo Septembris 1406. Exstat tamen titulus in Concordatis de annatis. Rebusus porro tractatu nominationum. quastio. 9. numer. 32. stylum ait in Gallia seruari in impetrationibus beneficiorum a Curia Summi Pontificis, nõ exprimi verum valorem beneficiorum, & quamuis valeant plus quam mille auri, tamen sufficit, si dicant valorem beneficis impetrati esse 24. ducatorum de camera, nec seruatur in Gallia regula Cancellaria 21. contraria, nec alia, quas vocant bursales constitutiones. Idem ait in prologo ad Titulu de Colla. Concorda. de quibus addit, se nihil ultra dicere, cum sint supra caput. Soluunt tamen Galli quasdam compositiones loco annatarum, in quibusdam maioribus beneficiis impetratis, æquum enim & iustum est, præfectum summum Pontificem vniuersali Ecclesia, omnium curam habentem ecclesiarum, habere quoque ex illis cum onere & commodum aliquod, pro iure superioritatis, & expensis, quas & pro republica Christiana subire expedit. Regul. secundum naturam. de reg. iur. P. ca. qui sentit. eod. tit. in Sex.

- Nec est audiendus hereticus, qui male dispensare summum Pontificem thesaurum Ecclesia calumniatur: etenim ipsi domino stat vel cadit, nostrumque non est de eius operibus iudicare, qui omnes indicat & a nullo iudicatur. can. aliorum, can. cuncta per mundum 9. q. 3.*
- o *Hac finitio est Cardinalis, consil. 26. vide de illa apud nos. libr. 2. Syntagmatis iuris. capit. 22. vide & finitionem Hostiensis in summa de decimis. Decima dicitur quotta pars sine certitudine in hac finitione, eo quod illa pars sit diuersa, iuxta diuersas consuetudines soluendi, ut nos docemus in dicto c. 22. libr. 2. Syntag.*
- p *cap. tua nobis 26. de Decim. can. decima, 66. q. 1.*
- q *Docuimus dicto capit. 22. libri secundi, Syntagm.*
- r *Deuteronom. cap. 12. ca. ex transmissa, de Decimis.*
- s *cap. 1. ca. ad Apostolica, ca. peruenit de Decimis. ca. fin. de parochis. can. Decima 16. quaest. 1.*
- t *dict. cap. ad Apostolica. cap. pastoralis, cap. commissum, de Decimis.*

## CAPVT. II.

*De quibus rebus soluantur Decima.*

**S**oluendæ porro sunt decimæ de omnibus, quæ legitime nobis adueniunt; *a* ex frugibus agrorum, *b* imo si agris in anno fructus referant, bis debebuntur, nempe quoties fructus percipiuntur, *c* de lucris ex molendino, *d* ex piscatione, *e* de venatione, & militia, *f* de apibus, de melle, & cera, *g* de gregibus, *h* foetu, lana, *i* lacte, & cafeo: *k* de pascuis, si ad culturam reducatur: *l* de mercibus, *m* & aliis industria, officio, artificiove quæsitis, *n* & de aliis, in **E** summa, lucris iustis. *o* Ex diebus quoque anni totius, decima soluitur in ieiunio Quadragesimæ. *p*

## SCHÖLIA.

*a* *Cap. ex transmissa 23. cap. tua nobis 26. §.*

- A** *& cum de cunctis, de decimis. Genes. 28. vers. 13. 2. Paralipomenon. cap. 3. vers. 5. 2. Esdra. cap. 10. vers. 37. sine ex praesidio, sine ex industria, sine alio modo adueniât. Leuit. 27. vers. 30. Gratitude namque testimonium & professio, a Deo omnia nobis bona aduenire, debet esse in cunctis susceptis: & idcirco etiam de minutis præstada decima, diui Matthai. cap. 23. ibi, Væ vobis Scribæ & Pharisei, qui decimaritis, mentham, anethum, &c. oportuit hæc facere, & illa non amittere. Quare nec ea lege potest emi vel acquiri fundus, ne decima soluantur ex eod. can. si quis laicus, can. de decimis. §. sed & illa 16. quaest. 1. quamuis per longum tempus nõ fuerint soluta. cap. cum in tua 10. de decim.*
- b** *cap. 1. & capit. ad Apostolica, de decimis. Frugis appellatio continet ea, qua terra alimonia causa producit. Paul. in l. frugem 77. de verbor. signification. præter carnem & poma, ut ibi Alciatus excipit. Continebantur itaque, omnes fructus sine sint naturales tantum, qui sine cultura proveniunt, ut ait c. grauis, de restitutio. spoliator. l. ex diuerso, de rei vendica. P. sine industriales, qui ex industria seu cultura hominis nascuntur. Vbiq; enim Dei abundat gratia, & beneficium ubiq; agnoscendum, neque enim est aliquid qui seminat, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, 1. ad Corinth. 3. cap. non est iuncto. cap. cum non sit, de decimis.*
- c** *cap. ex parte 21. de decimis.*
- d** *capit. ex transmissa, & cap. parochialis, de decimis.*
- e** *dicto cap. ex parte, & cap. penult. ad nos 5. de decimis.*
- f** *can. decima 16. q. 1. can. quicumque 16. q. 7. Genes. c. 14. vers. 20.*
- g** *cap. nuncios, de decimis.*
- h** *cap. pastoralis. de decimis. Exod. 22. vers. 28. & 30.*
- i** *dict. can. decima 16. quaest. 1. d. cap. peruenit. de decimis.*
- k** *Siquidẽ decima debetur de omni fructu: porro*

Porro in fructu sunt, tria, scilicet, lac, lana, A  
 sexipulum. l. in pecudū, de usu 20. §. in pe-  
 cūdum. de rer. diuis. apud Iustinian. vide  
 Rebuff. tractat. de decimis. qua. 6. nm. 23.  
 Boetiuma. §. 3. de consuetud. praediorum  
 in consuetudinibus Byrurg.

l. capit. commissum, de decimis.

m. dicto capit. pastoralis.

n. can. decima 16. q. 1.

o. Gloss. ad dictum can. decima. Atque solui  
 debere dixerunt aliqui decimas de legato B  
 & hereditate, si consisteret in mobilibus,  
 non utique si in immobilibus, cum bis ex  
 eadem re exigi nō debeat decima. Verum  
 hodie ex consuetudine, non soluntur de-  
 cima ex legatis, hereditate, aut donationi-  
 bus: contrarium tamen dicendum, si esset  
 consuetudo. Et sic concludunt Panormit.  
 ad dict. cap. pastoralis, ut ibidem Imola, &  
 Gloss. in dicto can. decima. Caterum ex in-  
 iusto quaesitis, ut ex meretricio actu Eccle- C  
 sia respuit decimas. can. oblationes 90. di-  
 stincti. Deuteron. 23. vers. 18. Ideo non re-  
 cipit & usuras ab usurario in usuris per-  
 seuerante. Gloss. in summa 14. quest. 6. &  
 in can. decima 16. q. 1. Panorm. ad ca. ex  
 transmissa de decim. Capit. tamē praediales  
 decimas ab iniusto praedii possessore: quia  
 ratione praedii, non persona debentur Glo.  
 Innoc. Panorm. ad c. ex transmissa, de de-  
 cimis, facit cap. de terris eod. tit.

p. can. 40. de consecrat. dist. 5.

### C A P. I I I.

Qui soluere debeant decimas.

Soluere Deo decimas omnes cuiuscun-  
 que generis sint Christiani, tenentur,  
 nisi priuilegio speciali fuerint a solutione  
 exempti. a Sicq; praediales soluendae a qui-  
 buscunque possessoribus praediorum et  
 iam Iudaeis, b & aleprosis, exceptis anima-  
 libus eorum & hortis, si in communi vi-  
 uant. c Aliquando neque monachi a praed-  
 dialibus eximiebantur, quia tanquam lai-  
 ci praedia colerent. d Praeter monachos  
 Cisterciensis ordinis, qui laborū suorum

non soluunt decimas. e Neque eorum,  
 quae propriis manibus vel sumptibus exco-  
 lunt: videlicet de quaesitis ante Concilium  
 Lateranense, etiam si sint noualia; f de qua-  
 sitis autem postea, contra. Quod & in aliis  
 regularibus, iisdem priuilegiis donatis, lo-  
 cum habet, ne occasione priuilegiorum  
 illorum, Ecclesiae praeter modum grauentur. g  
 Quod & in militibus. Hierosolymitanis  
 locum habet. h Et ita exempti & priuilegia-  
 ti debent etiam decimas ex praediis posses-  
 sis, nisi ipsa quoque praedia priuilegio ex-  
 presso a solutione eximantur. i Exemptio-  
 nem autē hanc, dat solus summus Ponti-  
 fex, nō princeps vel Rex secularis. k Hicq;  
 & obseruandum, ut si sint exempti, qui praed-  
 dia habeant exempta, quandiu ea excolunt,  
 & eadē dederint aliis colenda, debeantur  
 decimae. l Quemadmodum immunes seu  
 exempti a solutione decimarū, soluere eas  
 debent, si aliena praedia colenda suscipiāt. m  
 Placuit autem nullos monachos seu viros  
 sub regula & in aliquo cœnobio viuentes,  
 teneri ad solutionem decimarum ex hor-  
 tis, n vel ex animalibus nutritis, vel de no-  
 ualibus, quae propriis excolunt manibus,  
 quod & ad fratres Praedicatorii, & sancti  
 Francisci ordinis extenditur. o Placuit et-  
 iam nihilominus, concessum priuilegium  
 de non soluendis decimis, non extendi ad  
 conventionem antea factam praecedentem  
 priuilegiū, de soluendis illis. p Quem-  
 admodum & illud ipsum priuilegium non  
 erit extendendū in posterum ad alia pos-  
 sessa, si illud incipiat Ecclesius parochiali-  
 bus esse damnosum. q

### S C H O L I A.

a Cap. a nobis, 24. cap. aliquibus 32. de deci-  
 mis. Inbetur indefinite solui decimas ab  
 omnibus. can. omnes decima 16. questio.  
 7. & sine distinctione possidentium praedia.  
 cap. tua, in 2. de decimis. Sic monachi sol-  
 uunt ex praediis possessis, in can. cunctis fi-  
 delibus 16. questio. 1. & de noue cultis  
 cap. commissum 4. de decimis, cap. 1. §. fin.

- eodem titulo, in Sex. Et ecclesia de pradiis in dotem datis, soluit curioni parochia, nisi ea sint modica Glossa. in cap. 1. Et ca. nuper, de censibus.
- b** cap. de terris, de decimis.
- c** cap. secundo, de Eccles. adifican.
- d** can. generaliter 16. q. 1.
- e** Qui vivunt ex laboribus suis, pauperes dicuntur. ca. quod super, Et ibi Panorm. de Voto. l. si constante, soluto matrimon. P. Solvent tamen contentibus clericorum ordinis sui. cap. 1. §. fin. de verbor. signific. in Sext. An autem clerici teneantur solvere decimas personales. vide Panom. ad ca. 2. de decimis.
- f** Quid sit novale, explicatur in capit. quid per novale 21. de verbor. signifi. ubi in causa exemptionis prestationis decima ex novalibus, singulariter dicitur, intelligendum esse per novale, tantum agrum de novo ad cultum redactum, de quo non existat memoria, quod aliquando cultus fuerit. Ita separatur novalis significatio ab ea, que in re civili datur, ut sit etiam terra præcisa, qua anno cessat. l. sylva cadua, o. §. novalis, de verbor. signific. P. vel sylva, que arboribus extirpatis, ad cultum, redigitur. per l. fin. §. penult. de termi. mot. P. Proprie etiam videtur terra nuper primum proficissa, novale dici, æg. p. n. d. c. terra, ut apud auctores de limitibus agrorū, Et Serenium, in 1. Georg. Virgilis.
- g** cap. penult. de decimis.
- h** cap. dudum 31. de decimis.
- i** capit. 2. §. Diocesani. de decimis, in Sext. quod privilegium seu prescriptio, non solvendi, amittitur solutione sine protestatione, etiam semel facta, ca. accedentibus. ca. si de terra, de primleg. vide qua dixi, libr. secundo Syntagmatis iuris. capit. 24. numer. 9. Et 10.
- k** cap. tua 25. Et cap. dudum, 31. de decimis. vide Rebuffum. tract. de decimis. quest. 5. num. 28. 29. Et 30.
- l** cap. licet, de benignitate 11. de decimis.
- m** cap. dilecti 2. de decimis.
- n** cap. ex parte, de decimis.
- o** cap. nimis prava, de excessibus prelati.
- p** ca. ex multiplici 3. de decimis.
- q** cap. suggestum 9. de decimis.

## CAP. IIII.

## De modo Et quantitate decimarum solvendarum.

**I**vre communi omnium frugum integra decima novum partibus relictis, & statim frugibus collectis debetur, a antiquam tributorum vel censuū prædialium fiant exactiones. **b** Nullaque facta prius deductione expensarum factarum in servos seu mercenarios pro agris colendis, aut pro colligendis fructibus, seu lucris. **c** Quamquam circa res acquisitas vel factas, de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, deducantur expensæ, & de residuo, quasi de lucro decimæ solvantur, ut si vendatur domus; ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut aliæ merces. **d** Observandum tamen in solutione decimarum, num aliqua sit consuetudo, siue agatur de quota decimarum, siue de modo solvendi, siue de rebus, quæ debent decimam iure diuino, nam ea erit sequenda. **e**

## SCHOLIA.

- a** ca. commissum. Et c. cum homines 7. Et ca. de decimis. Levit. 23.
- b** cap. cum non sit 33. de decimis.
- c** dict. cap. cum homines 7. Et cap. non est 22. §. final. cap. pastoralis 28. cap. tua nobis 31. de decimis.
- d** dict. cap. pastoralis. de decimis.
- e** cap. veniens, de transactio. capit. nuper de decimis. vide Rebuff. tractat. de decimis. questio. 13. num. 44. Et 50. Et 51. Et Panorm. ad dict. cap. cum homines. de decimis, Boetium ad §. 12. de consuetudine prædior. in consuetud. Byturig. Hostiens. ad cap. a nobis. Et cap. non est, de decimis, Et que nos diximus, libr. 2. Syntagma. iur. capit. 26. que omnia vera sunt, siue agatur de prædialibus siue de personalibus, de do-

*decimis: nam in omnibus cōsuetudo sequenda, vide Panormitanum in cap. in aliquibus, alias in quibusdam, de decimis.*

## CAPVT V.

*Quibus soluenda sunt decima.*

**D**ecimæ Deo debentur & soluuntur. *a* Quamobrem sacerdotibus, quibus portio domini communicata est, dantur; *b* etiã si mali sint, & non laicis, qui omnino incapaces sunt possessionis, seu quasi possessionis iuris decimarum, quamuis sint principes. *d* Ex iure communi debentur Ecclesiis parochialibus seu baptismalibus, sub quarum finibus res vel personæ, quæ debent, sunt. *e* Ita prædiales, Ecclesiæ sub cuius parochia erunt, sunt soluendæ, *f* nisi solutionem alia Ecclesia contra illam legitime sibi præscripserit: *g* aut nisi contra sit consuetudo. *h* Saluis tamen remanentibus parochiarum finibus, qui præscribi nequeunt, vt neq; fines diæceleon, si de eorum distinctione constet. *i* Quod si in vna ecclesia duo sint curiones, quorum vnus dicitur prior, alter rector perpetuus, decimæ dantur curioni præcipuo seu priori, reseruata congrua pensione vicario perpetuo seu rectori. *k* Possit & ius decimarum ad alias ecclesias quam parochiales pertinere ex concessione Episcopi. Personales decimæ quoque debentur Ecclesiis baptismalibus eorum locorum, in quibus quis degit, vel percipit sacramenta. *m* Mixtæ animalium decimæ, debentur ei parochiæ, in cuius territorio pascuntur, & conceperint, *n* quod si in territorio vnus parochiæ pascantur hyeme, & æstate in territorio alterius, diuidentur inter illas decimæ. *o* Fuerunt solutæ decimæ ecclesiis, aliquando diuisæ inter Episcopum, clericos, pauperes, & fabricam. *p* Quorum portiones aliquando maiores, aliquando minores fuerunt *q* secundum consuetudinem locorum, *r* quemadmodum & postea consuetudo alicubi diuisiones illas sustulit, & reduxit illas ad proprias ecclesias,

quibus etiam est data actio petendi decimas contra denegantes solutionem, & ultra censuram ecclesiasticam, quam & in eo ferre possunt. *v* Laicis autem ius decimarum denegatum est, iure cōmuni. *x* Quare nec decimas eodem iure sine peccato possunt percipere, vel quasi possidere ius, *y* aut præscribere. *z* Et si qua persona ecclesiastica, hoc ius personis laicis concesserit, tanquam arbor, quæ perperam terram occupet, erit ab ecclesia succidenda. *aa* Nisi possederint decimas a tempore, quod præcesserit Concilium Lateranense, in quod iam possessæ antea a laicis, illis permittæ: in posterum autem prohibitæ omnino. *bb*

## SCHOLIA.

- a* cap. tua nobis 26. de decimis, cum simil.  
*b* cap. quamuis graue 17. cap. non est in potestate 22. de decimis.  
*c* dict. cap. tua nobis 26. de decimis.  
*d* can. si quis laicus 16. quest. prima, can. 1. & 2. 16. q. 7. c. prohibemus 19. capit. ad hac 15. de decimis.  
*e* can. Ecclesias 13. questio. prima. can. de decimis 16. quest. 5. cap. pastoralis, de his que sunt a pralat. sine consen. capit. cap. fin. de Paroch.  
*f* capit. cum contingat. capit. cum in tua. capit. ex transmissa. de decimis. dict. capit. fin. de Paroch. can. statuimus, 16. question. 1.  
*g* Prescribere enim potest ecclesia contra ecclesiam decimas. capit. ad aures, de Prescript. per 40. annos, cum bona fide, capit. vigilanti, de prescript. eod. titul. capit. 1. de prescript. in Sext. cap. 2. de restitutione spoliat. in Sex.  
*h* cum sint homines, cap. ad Apostolica, cap. in aliquibus, de decimis.  
*i* cap. super eo, penult. de paroch. cap. licet in regulis, can. quicumque. & can. inter memoratos 16. quest. 3. Alioquin si non inueniantur fines expresse distincti, possunt prescribi, ad. canonib. & capit. quia indicante Abbate 9. de prescript.

- k** Et ita iudicatum fuisse scribit Papus. libr. A z cap. causam que, de prescr. ca. 1. 16. qua. 7. 1. Rhaps. arrestor. tit. 12. arresto 7. § 11.
- l** can. in sacris, can. statimimus 16. questio. 1. veluti conceditur monasterius. in can. fin. eadem 16. q. 1.
- m** cap. ad Apostolica 20. de decimis. cap. fin. de paroch. can. quest. can. de decimis 16. quest. 1. Quid si quis in uno loco habeat domicilium, & in alio loco sacramenta accipiat, vide Rebuffum. tracta. de decimis. quest. 6. nu. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
- n** Gloss. in cap. 1. §. 1. ad verbum pascit, 13. quest. 1.
- o** Gloss. ad cap. ad Apostolica, de decimis, Decima lactis debetur ubi mulgentur animalia: decima caseorum, ubi casei fiunt, & sic seruari tradit Rebuffus in tracta. de decimis. q. 6. nu. 23. Boetius ad §. 3. de consuetudine prior. in consuet. Byturig.
- p** can. quatuor. ca. de rebus, can. concessio 12. q. 2. cum similibus.
- q** can. antiquos 10. questio. prima, can. de his, can. discernimus. ca. 10. questio. 1. ca. 1. de sepultu. Clement. dudum, eod. tit. apud Clementem.
- r** in cap. certificari. de sepulchris.
- s** can. 1. & can. priscus, & can. vnio. 11. q. 3.
- t** cap. Parochianos, de decimis, sicque ecclesia pro decimis utitur rei vendicatione, ca. moderamine 16. quest. 1. vel ut aliquib. placet, actione personali, & melius. Vide de hac re glossam. ad cap. tua nobis, 26. ad verbum, Tributa, de decimis.
- v** cap. tua, in 2. cap. peruenit 5. de decimis.
- x** cap. 1. & 2. 16. questio. 7. can. si quis laicus 16. quest. 1. cap. ad hac donationem 15. capit. quamuis 6. cap. prohibemus, de decimis. cau. peruenit. 1. quest. 3. can. fin. §. quod autem 16. can. iubemus. §. uem decima 16. qua. 3. Laici quippe sunt beneficiorum, quibus adherent decima, incapaces. cap. cum a deo. de rescript. cap. ex literis de transactio. cap. 2. de Institutio. Clement. quia contingit. §. ut autem. de religiof. domi.
- y** d. li. cap. peruenit 1. q. 3.
- A z** cap. causam que, de prescr. ca. 1. 16. qua. 7. can. fin. 16. q. 1.
- aa** cap. quamuis 17. de decimis.
- bb** cap. cum Apostolica, 7. de his, qua sunt a pralat. sine consensu capituli. cap. tua. in §. final. de decimis. vide qua diximus. libr. 2. Syntagm. Iuris. capit. 25. ubi inuenies quatenus & quare Concilio Lateranensi permissa fuerint laicis perceptiones decimarum ecclesiasticarum. Loquitur autem Concilium Lateranense, de infestatione decimarum facta laico, ut aliquid inde prestaretur ecclesis. Quod tamen & visum est iniquo consilio: nempe ut pars, qua Deo consecrata est iure diuino, inter prophanos usus remaneat. Multo magis iniustum erit, laicos nullo iure possidere decimas ex tyrannide dominantium, vel violentia usurpatis primis, & deinceps per corruptelam perceptas forsan, & quod peius ex inundatione pralatorum in laicos translatas, quod est & sacrilegium, cum nec sanctuarium Dei, iure hereditario transferri debeat. ca. Apostolica 8. q. 1. ca. de prabend. cap. ex transmissa. cap. presentium, cap. conquerente, de filiis presbyter. cap. consuluit, de iure patrona. Nec semel Deo dicatum, ad usus prophanos transferri oportet, reg. semel Deo dicatum. de reg. iur. in Sex. cum similib. ibi notat. Et certe hinc sequitur clericorum maxima inopia, dum decima a laicis percipiuntur, & Ecclesia ei doctis destituitur praeclis, cum subtrahantur ea, qua ad alimeta cultumque diuinum erant destinata. Hinc etiam orta est ad solutionem decimarum populi contumacia, et vident a temporalibus dominis usurpari, erroreque in fide, occasione sumi. at illic, innumeri, de quo nihil amplius addam, cum res ipsa per se sit manifesta. & suadeat possessoribus & principibus istius detentionis reparandum esse statum, & reddenda Deo, nisi dicamus iram Dei in eo & in ecclesiam suam apparere, ut quod non caput Christus, rapiat filius, can. maiores 16. q. 7. can. decima. 6. q. 1.



## CAPVT VI.

## Causa aliqua solutionis Decimarum.

Soluuntur decimæ Deo, in signum vniuersalis domini eius, quo testamur omnia, ex quibus decimas soluimus ex Dei liberalitate procedere. *a* Item vt viuant ex his, qui cultui diuino in perpetuum dicati sunt: *b* qui enim altari seruiunt, de altari viuere debent; *c* vt non sit alligandum os boui trituranti. *d*

## SCHOLIA.

*a* can. Decima, 16. quæst. 1. cap. tua nobis, 26. de Decimis. Sic & ab Ethnicis, earatione solutas suis idolis & sacerdotibus docuimus, lib. 2. Syntagm. iuris vniuers. ca. 22. Tributi præstatio est etiam probatio subiectionis, cap. omnis anima, 2. de Censib. lib. 3. tit. 39.

*b* Numer. cap. 18. vers. 11. 2. Paralipom. cap. 30. vers. 4. cap. causa Carpenfis, de verbor. signific. c. quamuis sit graue, de Decimis. Ideo dicuntur tributa egentium animarum, in cap. tua nobis, 26. de Decimis. In can. Decima, 16. quæst. 1. quia debentur clericis egenis & pauperibus.

*c* c. cum secundum Apostolum, de Præbend. cap. cum sit Romana de Simonia, c. cum ab omni specie mali, 10. de vita & honestate clericorum.

*d* Ad Galatas, cap. 6. Deuteronom. 25. Diui Matth. 10. Diui Marci 6. Diui Luca cap. 19.

## DE PECVLIO CLERICORVM.

## a TIT. XXVI.

*a* De hoc habetur libro tertio Decretalium, tit. 25. in can. Episcopi de Rebus propriis cum 2. sequentibus 12. qu. 1. & quæst. 2. 3. & 4. per totam. Eo pertinere, saltem ad explicationem, possunt tituli Iuris ciuilib. de Peculio lib. 15. P. tit. 2. Et de castrensi peculio, lib. 49. P. tit. 17. maxime titulus 7. lib. primi C. de Sacrosanct. Ecclesijs. &c. & l. Sacrosancta, C. eod. tit. titulus de Castrensi pe-

*A* culio omnium Palatino. lib. 12. C. titul. 31. militum & Præfeitorum, libro 12. C. titulo 37.

## CAPVT I.

1 Continuatio.

2 Et peculium quid.

Sed quia incidimus in bona clericorum, seu personarum ecclesiasticarum, non prætermittimus de peculio earum quædam adiciere.

*B* Peculium dictum est, quasi pusilla quædam pecunia, siue patrimonium pusillum: *a* quare illud maxime conuenit clericis. *b* Quibus non debet esse abundans patrimonium, quia & illis omnibus, maxime autem, qui expresse renuntiarunt temporalibus, *c* dictum est. Nolite thesaurizare: *d* Et alibi, habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus. *e*

## SCHOLIA.

*C* *a* L. depositi 5. §. peculium, de Pecul. lib. 15. P. tit. 1. Peculium quod præsidii causa separaretur, l. si chorus, 79. de Leg. 3. quod ex eo Florentinus Iurisconsult. consistere dixit, quod parsimonia sua quis parauit, vel officio meruerit ab aliquo sibi donari, l. Peculium, 39. de Pecul. P. Inde peculium filii familias, quod seorsum a facultatibus patris habet, & peculium serui, quod seruus habet separatim a rationibus Domini, permissu eius, dicta l. depositi, §. fin. de Pecul. Extra quas etiam personas, alii peculium habere dicuntur, qui pusillum aliquid sibi quasuerint. Pecunia quippe vnde peculium, rem seu patrimonium significat, l. pecunia, de verb. significat. P. peculium a pecunia, & pecunia a pecudibus: quia olim primum as ouis & bouis effigie a Seruio Rege Romanorum signatum, vt ait Varro, lib. 2. Rustica. & lib. 4. de lingua Latina. Plinius lib. 18. cap. 3. Festus in verbo pecuniam. & peculium seruorum, idem Festus testatur a pecore dictum. Ratione acquisitionis in iure ciuili, peculium quadruplex dicitur profectiuum, aduentiuum,